

« nescio qua vi consuetudinis nullo modo mutari in melius cogitent, nisi hoc terrore percussi sollicitam mentem ad considerationem veritatis intenderent. » Quocirca (ut ait ibid. n. 6) « quidquid facit vera et legitima mater, etiamsi asperum amarumque sentiat, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinae, expellendo malum iniquitatis, apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi. » Idem Augustinus eadem in epistola n. 17. fatetur « suam primitus sententiam fuisse neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. » Hanc tamen sententiam ait se mutasse convictum exemplis quae a suis collegis afferebantur.

Etsi haec Augustini testimonia sicut et alia in epistola 185<sup>a</sup> ad Bonifacium n. 21. directe de legibus latis ab Imperatoribus Christianis loquantur, ostendunt tamen poenas corporales utiles esse et iuste adhiberi ad correptionem et emendationem malorum ut iusti et sancti libere evadant; hoc porro est quod iis testimoniis volumus demonstrare. Competere autem ipsi auctoritati Ecclesiasticae hanc potestatem, ex integra demonstratione sequitur a nobis prolata.

Id constanti Ecclesiae praxi firmatum est. Ita sane arguit Ioannes XXII Constit. citata n. 33. « Cum excommunicatio maior nendum excommunicatum a perceptione Sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium excludat, *corporalis est a Christo coactio Ecclesiae permessa* » (1). Porro hic effectus excommunicationis ab initio Ecclesiae exstitit, ut liquet ex Paulo 2<sup>a</sup> Thessalon. III, 14; 1<sup>a</sup> Cor. V, II; 2<sup>a</sup> Ioan. 11. Sed et alias poenas corporales Ecclesia imponere solita fuit. Gregorius M. L. XIII epist. 8<sup>a</sup>, 9<sup>a</sup>, 10<sup>a</sup>, concessis privilegiis circa res quoque temporales Xenodochio et Monasterio et Ecclesiae a Brunehilde regina constructis, subdit « Si

(1) Negant regalistae cum Richerio (De Potestate Ecclesiae in temporalibus L. III, c. 4, §. 3) potestatem excommunicandi se extendere ad effectus temporales, seu posse privare vitae civilis commercio, aut opibus terrenis, vel aliis humanae vitae subsidiis. Unde etiam negat ibidem c. 2, §. 3 excommunicationem esse coactionem « quando coactio et coercitio proprie in vi externa, quae a politico magistratu irrogatur consistit, si verum amamus. » Ratio cur illud negetur ea est, « quia potestas coactiva Ecclesiae respondet proportionatim potestati eius directivae secundum causas essentielles potestatis ecclesiasticae spirituales et temporales. Quando igitur potestas Ecclesiae directiva *animam habet pro materia et subiecto*, quae eam per actus hierarchicos informat, relinquatur pariter coactivam potestatem ad animam necessario referri oportere » scilicet exclusive. Verum haec ratio iam refutata est: quatenus vero negat excommunicationem esse coactionem, 1) ipse non sibi cohaeret verbis nunc citatis, in quibus de excommunicatione loquitur: 2) licet vis exterior non adhibeatur, aliquam veram coactionem haberi iam demonstravimus.

quis vero regum, sacerdotum, iudicum, personarumque secularium hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat. » Privilegium hoc non spurium esse, sed authenticum evidens fit iis quae habentur in Nota ad epistolam 8<sup>m</sup> editionis Venetae Ioannis Bapt. Galliccioli, et editionis Migne. Concilium Lateranense IV cp. 3. haec decernit « Si dominus temporalis requisitus vel monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac haeretica foeditate, per Metropolitanum et ceteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur, et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse vassallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat catholicis occupandam, qui eam, exterminatis haereticis, sine ulla contradictione possideant. » Innocentius IV approbantibus Patribus Concilii oecumenici Lugdunensis I Constitutione data, in qua plurima crimina Friderici II Imper. enumerat, ex potestate sibi in Petro a Deo facta (Matth. XVI, 18) ipsum Fridericum imperio, regnis, omnique honore ac dignitate sententiando privat. Idem ibidem (c. 1. De homicidio in 6<sup>o</sup>) sacro approbante Concilio statuit ut quicumque princeps praelatus etc. quempiam christianorum per assassinos interfici fecerit etc. sententiam incurrat ipso facto excommunicationis et depositionis a dignitate, honore etc. et a toto Christiano populo sit diffidatus. Ille porro diffidatus in iure dicitur, erga quem datur omnibus potestas eum impune occidendi. (Cf. Suarez De Fide Disp. XX Sect. 3. n. 23.) Item Tridentinum Concilium Sess. IV in decreto de editione et usu SS. Librorum prohibet sub poena anathematis et multae pecuniariae impressionem quorumvis librorum de rebus sacris sine nomine auctoris et sine approbatione Ordinarii. Itaque certum esse debet esse in Ecclesia potestatem huiusmodi coactivam.

VII. Verum quaestio restat quomodo possit Ecclesia huiusmodi poenarum exigere solutionem: an possit ipsa scilicet vi externa adhibita cogere reos. Et quia si potest vi externa adhibita cogere reos ad poenam sustinendam, poterit simpliciter vim externam adhibere quotiescumque opus est et ad poenas infligendas et ad violentiam comprimendam; hinc absolute quaeritur an in potestate Ecclesiae sit vim externam adhibere.

Primo quidem advertere licet quod usus vis externae potest duplici modo esse in potestate Ecclesiae. Scilicet 1) quatenus ministri eius ab ipsa instituti et ab ipsa facultatem immediate accipientes vim externam, cum opus est, exercent: 2) quatenus ipsa Ecclesia iubeat seculares Principes vim suam exercere in defensionem suam, eaque et violentias quasvis coercere et poenas debitas exigere. In

hac hypothese vis externa Ecclesiae esset vis ipsa potestatis civilis, sed Ecclesiae mancipata, ab eiusque nutu pro suis causis dependens. Iam vero certum est hoc saltem modo nempe *mediate* esse in potestate Ecclesiae vim externam adhibere. Id nos docet Bonifacius VIII in Bulla *Unam Sanctam* inter Extrav. comm. L. I. Tit. 8. c. 4; et in Concilio Lateranensi sub Leone X confirmata. « In hac (Ecclesia) eiusque potestate duos esse gladios, spirituales videlicet et temporales evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: ecce gladii duo hic, in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male attendit verbum Domini proferentis: converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. » Quibus in verbis animadvertendum est distinguendam esse doctrinam assertam a probatione adducta eiusdem, nam doctrina asserta est id circa quod magisterium versatur, et pro qua, si ex cathedra proponitur, infallibilitatis charisma promissum est. Probationes quidem doctrinae assertae ex verbo Dei petitae utique adesse debent, sed non est opus ut ipsae afferantur diserte; sed fieri potest ut vel probabilis tantum ratio afferatur, vel afferatur quidem verbum Dei, sed modo obscuriore propositum, nempe per quamdam interpretationem accommodatam alicui testimonio, quae interpretatio ea aetate satis recepta sit, ideoque sit testis sententiae communis Ecclesiae quoad rem ipsam. Utrumque contingit in probatione allata a Bonifacio VIII; nam scire oportet eam ad verbum desumptam esse ex S. Bernardo De Consid. L. IV, c. 3; quare Pontifex eius ipsissimis verbis utens, 1<sup>o</sup> eiusdem auctoritatem proferre voluisse dicendus est: auctoritas vero unius Doctoris argumentum probabile saltem est (S. Th. 1. p. q. 1. a. 8.). Tum 2<sup>o</sup> ipsa auctoritas Bernardi efficere potuit ut ea accommodata interpretatio communiter reciperetur pro repraesentanda doctrina duplicis in Ecclesia potestatis quam ipse Bernardus iis verbis evangelicis declaravit: eam ergo interpretationem proferens Pontifex, reapse ad sensum communem Ecclesiae provocavit. Non erat ergo cur Protestantes quidam adeo commoverentur propter huiusmodi argumentationem Bonifacii VIII, quem omnes hostes Ecclesiae ipsique soli contemptui semper habuerunt. Haec est ergo doctrina, quam Bonifacius VIII in bulla dogmatica sollemniter promulgavit. An autem haec pars Bullae definitionem fidei contineat disputabimus commodiore in loco inferius: modo no-

his satis est hanc esse doctrinam publice et sollemniter assertam a Romano Pontifice, et in corpus Canonicum relatam. Haec autem doctrina evidentissime probatur. Supposita enim existentia Ecclesiae institutae a Deo inter homines, qua ii adducantur in ultimum finem eumque supernaturalem, ex ipso iure naturae ordinatur potestas civilis ad subsidium et protectionem ferendam potestati regenti Ecclesiam, quemadmodum bonum societatis civilis ordinatur in bonum intentum ab Ecclesia; ultimo enim fini omnia subordinantur: eaque auctoritas, quae ad ultimum finem adducit homines, regulam praescribit usui omnium mediocum quibus iidem homines ad eius finis assecutionem disponuntur. Cum ergo potestas civilis exercenda sit in bonum societatis, quod est unica ratio eius existentiae, bonumque societatis civilis ordinetur in ultimum finem assequendum a singulis: huiusmodi subordinatio requirit ut ipsa societas civilis, eiusque elementa, inter quae potissimum est auctoritas, iuvet socios ad consecutionem ultimi finis, ideoque iuvet eam auctoritatem qua iidem in hunc finem promoventur: qua de re uberius in sequente Tractatu Th. XXI. Quia proinde auctoritas ecclesiastica potestatem habet decernendi poenas corporales; et in potestate civili est vis inflictiva earundem, et haec potestas subordinata est auctoritati ecclesiasticae, ita ut pro honore eius, seu pro fine quem intendit haec, sit illa exercenda: ideo Ecclesia potest praecipere potestati politicae ut gladio suo utatur in tutelam Ecclesiae. Sane hoc esse munus et officium civilis potestatis Ecclesia semper docuit. Ita Episcopi Concilii Byzaceni Domino Constantino Augusto « Omnipotens Deus Ecclesiae suae providens praescitos ac praedestinos in praesidio eius constituit romani nominis reges, ut quoties turbo diabolicae factionis quiddam contra eam excitare tentaverit, a vestrae clementiae rigore valeat comprimi, quatenus quies eius procurata vestrae potentiae suffragio debeat defensari; quia ei potestatem vestram serviendo subiicitis, cuius munere et protectione regnatis. » Leo M. epist. 156<sup>a</sup> ad Leonem Augustum, ait: « debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas. » Et Gregorius M. epist. 65<sup>a</sup> L. III, ad Mauritium Imper. « Ad hoc potestas super omnes homines dominorum nostrorum pietati caelitus data est, ut qui bona appetunt adjuventur, ut caelorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti regno famuletur. » Augustinus epist. 185 ad Bonifacium n. 20 « quis mente sobrius regibus dicat: nolite curare in regno vestro a quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertinet

in regno vestro quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus? quibus dici non potest: non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse quis impudicus. » Tridentina Synodus Sess. XXV. de Reform. c. 20. Seculares Principes officii sui admonens, eos dicit *Deum sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluisse*; monetque inter cetera ut « quae ecclesiastici iuris sunt... laedi non patiantur a suis ministris, sed severe in eos, qui illius (Ecclesiae) libertatem, immunitatem atque iurisdictionem impediunt, animadvertant. » Et Pius IX Encycl. *Quanta cura* his verbis Episcopos hortatur « atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam. » Hinc non infrequens Romanis Pontificibus, cum poenas temporales decernunt monere inferiores iudices ut, si opus est, invocetur quoque brachii secularis auxilium. Confer quae dicemus data opera in Th. XXI.

**Corollarium.** Ergo adeo falsum est Ecclesiam non habere potestatem coactivam poenis temporalibus exercendam eo quod est eius potestas spiritualis, ut vult De Dominis l. V. c. 1. seqq. ut e contrario illud potius ex hoc ipso sequatur, si bene intelligatur. Potestas enim spiritualis inter homines exercenda cum in finem supremum homines dirigat, subordinat sibi cetera, et ad temporalia media quoque extenditur, quibus humana quaevis societas opus habet.

Ceterum hac in re advertendum est quod potestas haec coactiva Ecclesiae licet tota exstiterit habitu ab initio, non se tamen tota statim explicavit aut potuit explicare; exercitium enim eius, quod est opus etiam prudentiae, ex adiunctis pluribus et ab indole societatum, in quibus Ecclesia vivit, dependet. Quare perperam ad primitiva secula exclusive provocatur, ut plena notio potestatis ecclesiasticae habeatur. « Quis enim (ait Augustinus ad Bonifacium epist. citata) tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret? » Quia vero Ecclesia quavis aetate semper eadem est, iure ex actis eius in sequentibus seculis non secus ac ex iis quae gesta sunt in prioribus licet Theologo argumentari, imo necesse est.

Dices: Si principes negant in his Ecclesiae parere, quo redit potestas haec coactiva Ecclesiae? Respondeo: Quid si milites aliive custodes ordinis nolint Principi obedire? Scilicet id non arguit defectum potestatis moralis seu iuris, sed solum impotentiam eam physicam quae cuivis humanae potestati insita est.

Defectus sane mediorum ad vim inferendam potest esse duplex: 1<sup>o</sup> defectus personalis: 2<sup>o</sup> defectus realis. Personalis in eo est quod persona aucta suprema auctoritate nequeat viribus propriis cohibere

et punire scelestos: hoc defectu principes omnes laborant, unusque est Deus rex regum qui ex se exsequi valeat sententiam suam, suppliciumque sumere de iniquis. Realis defectus est cum quis iure etiam caret utendi ministerio aliorum ad poenas sumendas. Hoc iure potiuntur reges seculares erga inferiores suos; sed hoc iure quoque gaudet Ecclesia erga ipsos reges. Discrimen quidem est quod ministri regis sunt in eodem ordine sociali ac est ipse rex, reges vero sunt in alio h. e. inferiore ordine ac est Ecclesia; verum cum hoc discrimen non tollat subordinationem et dependentiam Regum ab Ecclesia, imo ipsam statuat, nequit impedire quominus reapse habeat illa reale ius cogendi reges seu rectores civilis societatis ad praestandam ipsi opem suam: ideoque dici nequit deesse Ecclesiae media ad vim adhibendam pro tutela ordinis. Constat autem ex historia praeteritorum seculorum Ecclesiam auctoritate usam esse in ipsos reges christianos poenisque eos subiecisse, quarum executionem societati christianae committebat, quod quidem cum ageret Ecclesia opportunis utique in adiunctis provocabat semper ad potestatem sibi a Christo Domino divinitus factam. Cf. Conc. Lugdunense I. et Lateranense IV.

Adverte Censuram Sacrae facultatis Parisiensis datam 17 Decembris 1527 (Vide Historiam Ecclesiasticam De Graveson Tom. IX Tabula Chronolog. undecima, observationes) in quasdam Erasmi propositiones. Dixerat Erasmus: « Ego Principes ad trucidandos haereticos non hortor nec dehortor: quid sacerdotalis sit officii demonstro. » Porro sacra Facultas ait: « si Ecclesiasticis licet iuxta iuris dispositionem indicere bella, aut ad indicenda temporales magistratus inducere adversus Turcas et Iudaeos, non minus utique illis licebit adversus notorios haereticos... et ubi Principes seculares graviter delinquerent non exterminando haereticos in perniciem reip. christ. conspirantes, et in suam haeresim plurimos trahentes, tenentur omnibus modis illos inducere Orthodoxi Episcopi ad id faciendum; alioquin ipsi peccarent.... » Dixerat quoque Erasmus: « Veteribus Episcopis ultima poena erat anathema. » Sacra Facultas inquit: « propter infestationem tyrannorum in primitiva Ecclesia non poterant haeretici severiori poena mulctari quam excommunicationis: postea tamen quam Principes seculi Ecclesiae submittere colla, perspecta contumacia atque impietate haereticorum necessarium fuit, nedum conveniens in illos gladio temporali animadverti. » Alia censura statuitur haereticos, qui nihil aliud sint quam haeretici, posse et debere exstirpari gladio temporali.

Aliam quaestionem an Ecclesia seu Romanus Pontifex possit per ministros suos poenas corporales infligere, non censemus opus

esse pertractare. Ex his omnibus patet quod potestas coactiva quoad omnes suas partes competit Ecclesiae de iure divino. Id autem ex eo evidens est quod huiusmodi potestas probata sit vel iis ipsis testimoniis quibus institutio divina potestatis ecclesiasticae est probata, vel analysi facta potestatis quae instituta est a Deo.

VIII. Necesse est non paucas solvere difficultates. Marsilius Patavinus l. c. monet quod Christus dum in terris ageret, nullam potestatem regalem aut coactivam habuit, neque enim regnum eius erat de hoc mundo (Ioan. XVIII, 36), negavitque se iudicem esse constitutum super alios (Luc. XII, 14), ab iisque se subtraxit qui eum regem facere volebant (Ioan. VI, 15), tributumque solvit Caesari non condescensive ex liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus, et ad tribunal Romani Praesidis adductus, is non excepit iudicem esse incompetentem, sed imo eius auctoritatem supra se probavit (Ioan. XIX, 11). Atqui Ecclesia et Romanus Pontifex non potiuntur ea potestate, qua Christus in terris caruit; neque enim amplior est potestas Ecclesiae quam Christi: ergo. 2<sup>o</sup> Christus habet potestatem coactivam in omnes fideles cunctosque homines, sed eam Vicario suo in terris non commisit; nam eam exercet in altera vita ubi iudicium futurum est et praemii ac poenae distributio, non autem heic, ubi locus poenitentiae semper datur. 3<sup>o</sup> Christus noluit Apostolos dominari veluti reges, quorum propria est vis coactiva Luc. XXII, 25 Matth. XX, 25. Omnes praeterea fideles, Apostoli, Episcopi, ceterique iubentur potestatibus sublimioribus sine ulla exceptione subditi esse (Rom. XIII, 1); porro potestates sublimiores, de quibus loquitur Paulus, sunt principes seculares; horum est ergo iudicia contentiosa in fideles quoad omnia exercere: prohibentur e contrario iidem fideles se implicare negotiis secularibus (2 Tim. II, 4); at iurisdictio contentiosa est negotiumulare. 4<sup>o</sup> Coactio repugnat fini Ecclesiae, qui est adducere fideles in salutem per eorum meritoria opera; coactio vero opponitur merito sicut opponitur libertati, quae requiritur merito. Haec a Marsilio corroborantur auctoritate Patrum loca adducta Scripturarum interpretantium. Addunt alii 5<sup>o</sup> Ecclesiam esse Societatem spiritualem (Richerius opere citato c. XI), 6<sup>o</sup> non habere territorium (ibid.), 7<sup>o</sup> Clericos a causa sanguinis removeri, 8<sup>o</sup> Patres et Doctores negasse Ecclesiae potestatem cogendi per poenas temporales; quorum Patres viginti quinque, Doctores viginti affert Richerius in opere de Potestate Ecclesiae in rebus temporalibus L. III, c. 3. 9<sup>o</sup> Cui media desunt exercendae potestatis coactivae, hanc quoque deesse. 10<sup>o</sup> Tandem moderni clamant quod si potestas coactiva Ecclesiae competit, habetur *status in statu*, quod repugnat.

Iam vero ad 1<sup>m</sup> intoleranda est haeresis Christum in terris fuisse iure obnoxium potestatibus mundi, principesque seculi habuisse in ipsum potestatem coactivam. Christus quidem propter oeconomiam redemptionis ab usu abstinuit regiae supremae potestatis; sed ius sibi essenziale independentiae et potestatis abdicare a se non potuit. Ceterum modo non est quaestio de potestate civili, sed de potestate sacra, qua Ecclesia regitur: hanc porro Christus in terris agens ipse solus exercuit, nec alii humanae potestati permisit: ipse unus magistratus in Ecclesia instituit, formam regiminis praescripsit, leges tulit, omnemque auctoritatem Petro concessit et Apostolis. Nec si nunquam vi extrinseca coactiva est usus, id ex defectu potestatis accidisse putandum est. Argumentatio autem Marsilii, si quid probaret, id probaret nempe Ecclesiam esse quoad causas civiles subiectam potestati civili, seu carere immunitate; non vero probaret eos qui in Ecclesia praesunt potestate iurisdictionis coactivae erga fideles in negotiis ecclesiasticis: quod tamen demonstrandum esset. At neque aliquid probant testimonia a Marsilio recitata. Nam a) Christus accusatus quod se faceret regem Iudaeorum, et interrogatus a praeside an esset rex Iudaeorum, respondet *regnum suum non esse de hoc mundo* ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, non esse scilicet regnum mundanum, civile, quod a mundo h. e. ab ipsa hominum natura originem habet, non esse nempe illud regnum quod prius reges Iudaeorum habuerunt, cuiusmodi tantum a praeside poterat cogitari; sed esse regnum caelorum, a caelis originem habens, ad caelum homines adducens, supernaturale, divinum. Cuius rei indicium Christus exhibit Pilato subdens: *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis*: nimirum si regnum meum esset quale Reges mundi habent, illud ego moriendo amitterem, et idcirco ministri mei (quos non negat se habere Christus) certarent ut me e manibus Iudaeorum eriperent, et a morte liberarent: at cum regnum meum aeternum sit, illudque ego morte mea sim acquisiturus, nolo ministros meos decertare ut non tradar Iudaeis. Hoc autem Christi regnum ipsa est Ecclesia, peregrina in terris, triumphans in caelis. His porro Christi verbis nulla negatio continetur potestatis coactivae Christi sive in suo regno, sive erga omnes homines generatim; quemadmodum nec negat Christus se habere regnum *in hoc mundo*, imo affirmat Pilato interroganti rursus: *ergo rex es tu?* respondens: *tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc εἰς τούτο natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit vocem meam*. Quibus verbis et regnum suum inter homines esse significat, eiusque finem docet, non vero formam regiminis. Responsio

ergo Christi tota versatur circa indolem sui regni, quod sit supernaturale, spirituale ratione finis, inter homines existens: cum ergo huic indoli non repugnet potestas coactiva, imo ratio regni eam exigat; nihil Marsilius hoc testimonio efficit.

b) Christus negat se velle agere iudicem et divisorem inter eos: negatque se ad hoc esse constitutum, neque enim ad hoc agendum fuit missus a Patre, neque, quod indignum fuisset, missionem hanc ab ulla potestate humana acceperat. Sed non negat potestatem se habere ad hoc. Verum et responsio Christi eo modo interrogante proposita ita accipi potest ut nihil neget, sed tantum exposcat fidem iuvenis illius, quem scilicet credat esse Christum, an putet eum habere huiusmodi potestatem a Deo.

c) Ea fuga Christus actum detrectavit, non potestatem.

d) Falsum est tributum fuisse solutum tunc Caesari. Nam Christus (Matth. XVII, 24) ita disserit: quid tibi videtur Simon? reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis an ab alienis? et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos etc. Manifestum est Christum concludere eo argumento se esse liberum a tributo. Concluserat autem expresse liberos esse filios: significat ergo se esse liberum quia est filius. In argumento Christi una praemissa est explicita: *Reges non accipiunt tributum a filiis*, et concluditur: ergo *Ego sum liber*: patet quaenam sit minor supplenda, nempe: atqui ego sum filius regis, illius nempe pro quo exigitur tributum: ergo ego ab eo solvendo sum liber. Atqui Christus non est filius Regis nisi Dei; ergo didrachma illud solvendum erat Deo. Cur ergo dixit Christus: *Reges terrae?* ut nempe a simili argueret: reges terrae non accipiunt tributum a filiis; ergo generatim filii regis sunt immunes a tributis quae suo patri solvuntur: atqui ego sum filius: ergo liber sum a tributo debito Patri meo. Aliter quidem interpretatur Ioannes XXII in citata Constitutione quod nempe Christus se immunem dixerit ab ea obligatione, quia filius Regis Davidis secundum carnem: verum haec explicatio nec ut unica aut necessaria exhibetur, nec est censenda definitio. Ceterum Christum non necessitate coactum sed sponte solvisse ipse Christus docet, qui declarata sua libertate se solvere ait ut non scandalizaret illos exactores.

e) Christum non excepisse incompetentiam iudicis id tantum probat Christum noluisse uti suo iure, sed permisisse violentiam inferri sibi. Distincta vero potestate *iuris* a potestate *facti*; Christus iis verbis concessit quidem Pilato potestatem facti in se ipsum, nimirum permissum fuit caelitus Pilato, ut potestatem, quam iure exercebat in alios, exerceret quoque, licet iniuria, in Christum: at

non concessit Christus potestatem iuris; nihil est enim quod exigat hanc interpretationem, quae praeterea Christi dignitati repugnat.

Ad 2<sup>m</sup>. Christus in altera vita potestatem coactivam exercet erga omnes homines, non tantum erga fideles, et quoad violationem legum nedum naturalium aut divinarum, sed et humanarum, quas homines potestate, quae tandem est a Deo, legitime statuerunt; et omnibus prorsus hominibus, quamdiu in hac vita sunt, poenitentiae locus datur pro admissis contra quamvis legem; ergo si quid probaret argumentum hoc Marsilii, probaret quoque principes seculares carere potestate coactiva. Itaque distinguenda duplex potestas prout duplex est forum. Potestatem propriam fori externi, qua consulitur bono ipsius societatis visibilis, Christus non exercet in altera vita, in qua non habet locum, sed in hac; et quidem in Ecclesia per ministros: in societate vero civili Christus ut Deus eam exercet per Reges quatenus potestas Regum a Deo derivatur. Potestatem vero propriam fori interni, qua consulitur bono cuiusque in ordine ad finem ultimum immediate, Christus in hac et in altera vita exercet, in altera iudicium proferendo finale quo perpetuum praemium vel perpetua poena statuitur, in hac remittendo aut retinendo peccata, atque hanc per suos ministros exercet.

Ad 3<sup>m</sup> a) Christus non excludit potestatem quamlibet, sed modum quemdam. Reges gentium, ait, dominantur *κατακυριεύουσιν αὐτῶν*, quo significatur auctore Salmasio (l. c. p. 10) dominatio violenta, qualem nimirum principes et reges in gentes sibi subditas vulgo solebant affectare. Porro Christus subdit: vos autem non sic; modus scilicet interdicitur quo solebat exerceri auctoritas, non ipsa per se auctoritas. Cf. quae dicemus in fine Th. II, Tract. seq.

b) Verbis Apostoli ad Romanos: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* etc. duplicem in finem abutuntur haeretici, nimirum tum ut probent potestatem coactivam quoad omnia esse penes Principes seculares, et ideo omnem potestatem coactivam, quae in terris exercetur, esse secularem, nullam ecclesiasticam: tum ut probent potestatem principum secularium esse prorsus vel indirecte independentem a potestate ecclesiastica, atque ecclesiasticos viros in temporalibus subiici directe potestati coactivae seculari, seu non gaudere immunitate personali et reali. Ad utrumque adstruendum affertur l. c. a Marsilio; et a Richerio in opere de Potestate Ecclesiae in rebus temporalibus L. II, c. 1, §. 4. seqq. Modo nobis quaestio non est de altera haeresi, quam confutare opus erit, cum de potestate indirecta Romani Pontificis, eiusque immunitate disputandum erit. Nunc tantum de priore solliciti sumus. Porro, dato quod ibi Apostolus directe de potestate civili loquatur, ut ex ea sententia